



## Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Sebastiani Henrici Penzingeri, Consistorialis  
Passaviensis, Decani, & Parochi in Trauttmansdorff ad  
Laitam Bonus Ordo Triplicis Formatæ Concionis Moralis In  
Omnia Festa Sanctorum In Amplissima ...**

**Penzinger, Sebastian Heinrich**

**Solisbaci, 1698**

Disc. XX. Phœnix Amoris Maria est. Perfecto, ac intensissimo amore, Maria  
amavit Deum; elegantibus Conceptibus probatur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-51763](#)

## DISCURSUS XX.

*Charitatē in Deum ardentiſſima Virgo Maria  
speculum fuit Iustitiae, perfectio Virtutum.*

**C**Haritatem Apostolus Vinculum perfectionis intitulat, eamque suis praे omnibus specialiter recom-  
mendat, scribens: *super omnia Charitatem habete, quæ est Vinculum perfectionis.* ex quo contextu Do-  
ctor Angelicus S. Thomas de Aquino secundâ secundæ. Quæst.  
184. Art. 1. concludit, mensuram perfectionis, in quovis  
homine, ex charitate in Deum defumendam esse, ita ut is  
perfectior, virtuosior, ac justior esse censendus sit, qui cæteris  
ardentius Deum diligit. *Omnis christiana Virtutis perfectio, se-  
cundum Charitatem attendenda est.* Virgo Maria Dei Genitrix  
supra omnes homines charitate in Deum ardentissima erat,  
ipsam ergo speculum justitiae, exemplar virtutum, perfectionis  
christianæ normam proponere, dignum duximus. A sententiis ss. Patres,  
ss. Patrum, probationis principium sumamus. *Quidquid cordis  
est, quidquid mentis, quidquid virtutis humanae, si totum adhibeas,  
nō sufficit, ut cogitare valeas, quanto inde sinenter creniatur ar-  
dore pii amoris, quantis movebatur repleta spiritu S. cœlestium se-  
cretorum incitamentis, quam totam incanduerat ait in iustus amor, ita  
ut in ea nibil esset, mundanus quod violaret affectus, sed ardor  
continuus, & ebrietas perfusus amoris.* scribit S. Ecclesiæ Doctor S. Hiero-  
Hieronymus. Tom. 9. Epist. de Assumpt. B. V. ad Paul. & Eu-  
stoch. *Fuit beata Virgocælum igneum, propter ardentissimam  
charitatem;* sicut enim *ignis est in summo calidus,* sic Domina no-  
stra fuit charitate in summo ardentiſima, que nec primam simi-  
lem visa est, nec habere sequentem. docet Doctor seraphicus S. Bonaven-  
Bonaventura. Tom. 3. serm. 1. de B. V. *O cor virginatum amo-  
risigne succensum! o sacra viscera velut clibanus caudentia, &*

ardentia velut Seraphim! o sacram pectus, quo ardore inten-  
flammaris! o tenerrimum corpus, quomodo tanto calore mo-

<sup>S. Thomas à Villâ Novâ</sup> rumperis? quis tuos, o Virgo! ardores, mentis excessus, dignus.  
ficiat explicare eloquio, aut comprehendere cogitatu*s* exhorta  
pra admiratione S. Thomas à Villâ Novâ. Conc. 2. de Nat.

V. Divinis ignita colloquis, tota effecta es velut ignis, tegi  
locaustum Deo suavissimum obtulisti. alloquitur Virginem.

<sup>S. Amadeus</sup> Amadæus. Hom. 6. de B. V. Quid? an non te fornax illa-  
signavit, que ignem simul & refrigerantem & inflammantem  
stendebat, diviniq; illius ignis in te habitantis typum gerdi-

<sup>S. Joannes Damascenus</sup> disertissime perorat S. Joannes Damascenus. Orat. de Dor-  
mit. B. V. finem imponit S. Antoninus. Part. 4. Tit. 15. cap.

44. §. 9. Discursu sequenti. Charitas beata Maria nuncius  
potuit cessare, quod ostenditur per hoc: quia charitas non potest  
cessare nisi per mortale peccatum, sed ipsa numquam potuit peccare  
mortaliiter, quia in utero sanctificata, antequam posset peccare,  
per ipsam sanctificationem ita fuit confirmata in gratia & libe-  
tate, quod postea peccare non potuit, etiam venialiter, unde  
amistere charitatem. O charitate ardentissima Virgo! impo-  
stra nobis gratiam Spiritus S., quâ te vivum justitiae speculum,  
profundis Conceptibus inspicere, juxta hoc exemplar virtu-  
tum, vitam nostram instituere, secundum hanc perfectionis  
normam, ad beneplacitum divinum actus nostros dirigere  
leamus.

## CONCEPTUS I.

Ut dignum Deo templum edificaret sapientissimus sumus  
Confirma- ac ditissimus regum Salomon, omnia auro tegi voluit. 1. Reg.  
tio seu De- 6. cap. Athil erat in templo, quod non auro tegeretur. Quid pa-  
ductio. aurum significari creditis? S. Bonaventura. serm. 4. de Epiph.  
per aurum, charitatem Dei que amorem intelligit, sicut enim  
metalla omnia in valore aurum excedit, ita charitas inter vir-  
tutes primatum tenet, dicente Apostolo: major autem bonus  
est charitas: Sicut inter metalla, primum est aurum; sic enim  
juxta D. Thomam 1. Part. Quest. 36. Art. 2. Primum, quod datur.

est amor, quo volumus alicui bonum. Mariam Virginem, templum Salomonis nominat S. Brigitta. Lib. 3. Revelat. c. 29. Tu benedicta Virgo templum es Salomonis. Nihil erat in hoc templo, quod non auro tegeretur, omnia ejus membra charitate in Deum repleta erant, scintillabant oculi, genæ rubebant, vaporabant membra, cor integrum in Deum exarsit. Testem agit S. Bernardus. serm. 29. in Cant. *Est sagittælecta amor Dei, qui Maria animam non modo confixit, sed etiam pertransivit, ut nullam inspectore Virginali particulam reliquerit, sed toto corpore, totâ animâ, totâ virtute diligenter, & esset gratia plena.* Bernardo Bernardinum Senensem subjungo. serm. de Exaltatione B. V. in gloriâ. art. 2. cap. 1. *Tanta enim fuit dilectio, quâ beatâ Virgo, etiam in vita præsentî Deum dilexit, quod omnes amores præsentis vita, prateriti, præsentes, atq; futuri, respectu hujus sunt quasi luna sub pedibus ejus.* Luna signum firmamenti frigidum est, omnes ergo excogitabiles amores, ad Mariæ amorem in Deum positi, frigi sunt, & exigui. En quâm arcto perfectionis vinculo, Virgo Deipara, Domino astricta est, quæ omnes in terris amores, ignita transcendent.

## CONCEPTUS II.

Quoniam sanctissima Virgo, auditio, de Conceptione, ac partu Filii sui, angelico nuntio, modum, quo mater simul & Virgo esset, capere nequaquam poterat, ut quæ Virginitatem suam constanter custodiendi decreto firmiter adhærebat, ideo angelus his eam affatus est Verbis. *Spiritus Sanctus superveniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi.* Lucæ 1. cap. Supervenientem Spiritum S. in Virginem non adeò miror, etenim ad tantam, ac tam mirabilem maternitatem, supernaturali ac divino artifice opus erat, sed quid tanta obumbratio refrigescens umbram, contra nimi usolis ardorem, & ad reprimendam caloris vehementiam inquirit homo; si igitur à virtute Altissimi obumbrati Virginem benedictam oportuit, amoris calore fervidam, & charitate in Deum ardentissimam fuisse censendum est. *Nolite (inquit) me considerare, quod fuca sum, quia de-*

*coloravit me sol.* Cant. i. cap. Quis te fuscum fecit, o specie omnium pulcherrima? unde tantus tibi ardor? sol, inquit, iustitia, sol ille flagrantissimus, intus & foris ita totam me invadavit, ut fusca appaream praे calore, fusca sum fateor, sed forma, ardentissima, sed amore, ideo dilexit me rex, decoloravit sol iustitiae, Christus JESUS, ad temperandum mutui hujus amoris in JESU & Mariæ ardorem, quem alijs cor Virginis vehementiorem ferre non poterat, virtus Altissimi obumbravit eum. Ponderatio est S. Thomæ de Villâ Novâ, Conc. 2. de Nat. B. V. *Angelus hujus flagrantissimi ardoris præciosus ad Virginem ait: Spiritus sanctus superveniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi noli ergo timere filia Jerusalem, noli expavescere, nam Spiritus aderit, & virtus Altissimi obumbrabit tibi, ut tanti soli ardore valeas sustinere, & qui alios solet illuminare, tibi obumbrabit, a divini luminis ardorem temperet, & fulgorem.* Habes nunc Maria, o homo! iustitiae speculum, illud inspice, arqueo JESUM Christum, verum iustitiae solem, devotus conzepere.

### CONCEPTUS III.

Ab ipsâ experientiâ, convenientissimè deduci potest, si suum ac Unigenitum Dei Filium, Virginem Dei Matrem, comprehensibili amoris magnitudine exarsisse: an non hoc animantia, & vel maximè gallinapullos suos a deo diligit, immo amoris vehementi langueat, & infirmetur? num a deo dimis esse valet proles, cui non affecta sit mater, quia caro & sanguis ejus est? de Christo Unigenito Dei, & Maria Virginis filio canit David, Psal. 44. *speciosus formâ praे filii hominum.* Princeps Apostolorum S. Petrus, Epist. i. cap. i. *In quem desiderant angeli prospicere.* Formemus jam prudentem disci-  
sum: quævis mater tenerè amat fructum ventris sui, nam deformem, quia caro & sanguis ejus est; JESUS Christus unigenitus Filius Dei vivi nullatenus deformis, sed speciosus & præ filiis hominum, in quem desiderant angeli proficere carnem & sanguinem sumpfit de Virgine, verus ejus Filius, &

benedictus fructus ventris ejus est, ergo Maria Virgo, Dei Mater suum & Unigenitum Dei Filium, summe, tenerime, ac sine comparatione amavit vehementissime. Confirmat conclusionem Bernardinus de Busto, in Mariali, Part. 4. serm. 2. *Amabat Virgo virginum, Christum amore natura, ut Mater filium; amore amicitiae, ut Creatura creatorem; amore gratiae, ut preservata & redempta Salvatorem suum; intimus autem amor fuit Matris ad Filium, quod ipsa tota erat in amorem conversa, sicut ferrum missum in ignem, totum efficitur ignis.* O quam pretiosum exemplar virtutum, Virgo Dei amantissima! discamus ab illa, amare Deum, amore amicitiae, ut creaturae Creatorem; amore gratiae, ut redempti Salvatorem.

## CONCEPTUS IV.

Magnus ille amor est, quo usque ad languorem homo exardecit; maximus autem, qui hominem praे amore mori facit: an autem talis amor in creatis dari possit, quæstio non inanis est? affirmativam tenet B. Albertus Magnus, atque in Deum charitate mortuam fuisse Virginem Deiparam, & charitate flammeam, innato ignis impetu, in cœlum assumptam tuetur integro cursu super Missus est. Quæst. 131. *Quidquid a primum patum est, inducere languorem, si continuetur, & intenditur, potest inducere mortem, sed amor potest inducere languorem, ergo & mortem: minor patet.* Cant. 2. sponsa dicente: *quia amore languo: ubi glossa: praे amoris magnitudine omnia temporalia fastidio: ex his pater, quod beatissima Virgo, praे amore & sine dolore mortua fuerit.* O quam felices (exclamat S. Bonaventura, serm. 1. de B. V. tom. 3.) qui hunc igni cœlesti approximant, ut ejus intendium ad se trahant. confirmat S. Laurentius Justinianus, serm. in assumpt. B. V. Nullus, ut arbitror, ardorem Virginis sufficit explicare, quanto desideriorum cremabatur incendio. quam trebri suspirii angebarur, quamq; suavissimus cogitationibus exercebatur: detinebatur tanq; in saculo corpore, affectu autem & mente commorabatur in cœlo: quamobrem resolutionis carnis im-

*imminente articulo, sicut ab omni mentis & corporis corruptione  
exitit libera, ita & à mortis dolore aliena.*

## Epilogus.

Charitate in Deum ardenterissimam Mariam Virginem  
Dei Matrem, intelleximus; cum ergo charitas in Deum iuxta  
Apostolum, & S. Thomam mensura perfectionis sit, perfecter-  
simam quoque, ultrò non dubitabimus, de quā proinde pos-  
sus canit: *Una est perfecta mea.* Cant. 2. cap. non quod alia  
sanctorum animæ nullum perfectionis attigerint gradum, sed  
quod gloriofissima cœlorum Regina, sicut charitate, ita etiam  
perfectione omnem transcenderit creaturam, originaliter  
saltem, si non actualiter peccaminosam & imperfectam: ipsa  
sola originaliter & actualiter perfecta est, & sine omni pecca-  
to originali, actuali, mortali & veniali fuit, ex integro bona,  
nusquam defectuosa, ipsa sola Virgo peperit, & post partum  
Virgo permanxit; ipsa sola supra omnes evecta, Dominobie-  
milis ancilla servivit, ipsa sola Christo compatiens in anima  
transfixa, & longè plus cæteris hominibus in terris passa, aqua  
ideo cunctis altius elevata in gloriam. Ad te sunt preces in  
stræ cum devotissimo famulo tuo Lanspergio Theorii, 15.  
*O dulcissima Domina! vulnera, accende, reple cor nostrum  
re tuicæstissimo, ardenterissimo, fidelissimo, charitate, perfectissimo  
ad Deum & proximum: portemus te semper in corde nostro,  
musq; semper, ac indelebiliter scripti in corde tuo: exaudi nos,  
Domina! Amen.*

*Erga Creatorem, fers summum Mater amorem  
Sacrum, quod te capit, flamen ad atri-  
rapit.*

*Tu cordi Christi, tota inflammat a fuisti,  
Cor doce, Virgo! meum, semper amari  
Deum.*

Dl.